

DESSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

NOSTALGIA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAE-
SIDIS AC DIRECTORIS, SPECTABILIS, ET PERILLUSTRIS
DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM
PROFESSORUM, PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE LE-
GITIME CONSEQUENDO, IN ALMA ET CELEBERRIMA RE-
GIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTINENSI



CAROLUS BELLONY.

Theses adnexae, publice propugnabuntur in Palatio R. Sc. Uni-
versitatis majori, die mensis Augusti, 1835.

PESTINI, 1835.

T Y P I S L A N D E R E R I S.

Nescio, qua natale solum dulcedine captos
Dicit, et immemores non sinit esse sui



Ovidius.

PATRI OPTIMO,



PERPETUUM GRATITUDINIS

MONUMENTUM.


**TENUES HASCE LABORUM
SUORUM PRIMITIAS,**

SACRAT



AUCTOR.

Legi academicae Regiae Scientiarum Universita-
tis Hungaricae, quae gradum Doctoris medici-
nae consequi cupienti, terminato quinquennali
cursu scholastico, atque exantlatis rigorosis ex-
minibus, conscriptam super argumento ex late
patente medicinae campo ad arbitrium selecto dis-
sertationem, quam inauguralem dicunt, publici
facere usus praecipit, — huic inquam legi ac-
ademicae, quam sanissime a majoribus nostris in-
stitutam, sancte veneror satisfactus, pro spe-
cimine dissertationis meae inauguralis, Nostalgi-
am elaborandam suscepi. In limine opellae hu-



**jus nil reliquum esse censeo, quam ut Te lector
benevole! iterum iterumque orem, ut imbecilles
adhuclum vires meas considerando, in eodem
dijudicando benevolus esse velis. —**



. §. 1.

Nostalgia a νοστός, quod Graecis redditum, et αλγός, quod dolorem, tristitiamque denotat, sic dicta, vi vocis acerbum redditus in patriam desiderium exprimens, medicis ea animi affectio morbosa dicitur, quae in vividissimo, et invincibili in natale solum, aut ad sibi dilectos redeundi desiderio consistens, hoc non expleto, animi tristitiam, appetitum cibi deletum, agrypniam, dedolationem artuum, debilitatem nimiam, obfuscationes sensuum, emaciationem, tandem febrim hecticam, mortemque inducit. —

Etiam Pothopatridalgia dicitur ποθητός, desiderium; πατρός patria; et αλγός Eundem significatum habent: Nostopatridalgia, Nostomania, Nostopatriomania, Pothopatriomania, Philopatriomania. Hungaris Honvágyn; Germanis das Heimwehe; Gallis maladie du pais, nostalgie; Italis Nostalgia; Anglis the homing, the heimweh dicitur. —

§. 2.

In Nostalgia sensum internum adeo affectum esse, ut ex affectione ejus, omnes caeterae organismi turbae proficiscantur, vel ex ejusdem saepe celerrimo, et pene incredibili in sanitatem transitu, facile liquet. Enim vero prostant exempla hominum, qui ob hunc morbum ad limen vitae delati, spe in patriam, inque amplexus amatorum redeundi illucente, lapsu aliquot solum horarum ita reconvaluerunt, ut qui paulo ante tristes, pallidi, atque omni voce destituti, ne artus quidem movere valentes, lecto adfixi miserandam mortis effigiem

vivo adhuc corpore praeseferebant, protinus vivacissimi, hilares, et summopere agiles, nimio exuberaverint gaudio. In hoc igitur morbo prouti in plurimis aliis eidem analogis, vis vitalis suppressa potius, quam exhausta esse videtur. —

Nostomania a Melancholia essentialiter non differt, verum modificationem solum ejus sistit. Eminens in Nostalgia animi dejecti alienatio, cum Melancholia communis, atque invincibilis patriae, sibique charorum cupido, et ex hujus adimpletione neglecta emergens inamoena sensatio, quibus animus, et phantasia sine fine occupantur, ea sistunt momenta, quibus adserti hujus veritas comprobatur. —

§ 3.

Morbo huic e diametro oppositus quoque datur. Scilicet non raro animadvertente celeberrimo Hoyer nimum adest desiderium, relictis penatibus peregrina adeundi loca, quo non exsatiate auctor idem melancholiam, febrim malignam tabemque ortas suisse vidit. Dicitur vero haec animi alienatio Apodemialgia, cui, perinde ac Nostomaniae, nimiae persaepe celeritatis transitus in sanitatem, singularis est. —

§ 4.

Pro vario fundamento divisionis, varias subit Nostalgia divisiones.

1' Respectu febris, eam non raro comitantis, in febrilem, et afebrilem.

2. Respectu originis in originariam, seu protopathicam, et secundariam, seu deuteropathicam. Ut Nostalgia originaria dici queat, non sufficit eam in individuo antea perfecte sano evolutam fuisse; atque ante ejusdem evolutionem, organismus alio quovis morbo adfici poterat, ita tamen, ut superveniens Nostalgia, pro sobole morbi praexistentis, declarari non possit. Hinc Nostomania secundaria ea dicetur, quae ex alio morbo propullat. —

3. Respectu mutationum materialium, in variis organismi partibus, sive originarie, et causaliter, si-
ve secundarie, et symptomatice praesentium, Nostal-
gia in materialem, et dynamicam distinguitur. Mate-
rialis, seu cum materia ea dicitur, in qua dictae mu-
tationes reperiuntur. Huic opposita est dynamica, seu
sine materia. —

4. Respectu praesentiae, vel absentiae alterius
cujusdam morbi, Nostomaniae in simplicem, et com-
plicatam divisio, medico ejus sanationem molenti,
summae est utilitatis. —

Dividunt adhuc Nostalgiam in veram, et fictam,
quarum significatio, suapte intelligitur. Cum Nostalgia
ficta, desinat esse morbus, distinctio haec stricte logi-
ca non est quidem; medici attamen forensis attentio-
nem omnino reposcit. —

Diagnosis Nostalgiae:



§ 5.

Ut praesentem Nostalgiam cognoscamus, in sym-
tomata cuncta, successive se manifestantia, attentio-
nem nostram dirigamus, oportet. Hoc facto, Nostal-
giae simplicis sequentem decursum observabimus:

Homo antea socialis, meditabundus, et tristis eva-
dens, solitudinem studiose quaerit. Respiratio ei dif-
ficilis est, et interrupta, suspirium frequens, et involun-
tarium. Adpetitus cibi disparate, digestione lenta,
et imperfecta evadente. In consortium hominum, quod
nimis vitat delatus, parce loquitur, neque ardens loci
natalis, dilectorumque suorum desiderium, quo ininter-
rupte torquetur, cuidam manifestat, nec ipsem illud,
pro causa status sui agnoscere valet. Dantur tamen,
qui hoc malo correpti votum suum non adeo studiose
celant, atque praestantiam suae patriae, frequentibus
et nimiis laudibus depraedicantes, personas praedile-
ctas saepe nominando, sumnum et invincibile earum
desiderium, clare profitentur. Vel exigua spe iis illu-

cente, futurum fore, ut voti sui compotes reddantur, vultum extemplo hilarem, et serenum exhibent, adspectus eorum vividior, et placidus evadit. Nec tamen status hicce diu perseverat, alimento enim spei dulcissimae deficiente, prior pedetentim revertitur. — Solitudo, quam Nostomaniacus status sui emendandi gratia saepissime quaerit, tantum abest, ut hoc efficiat, ut eum-potius deteriorem reddat. **Enim** vero phantasia morbose elata ultro exaltatur, vires vero corporis exhauiuntur. Accedit nunc dedolatio artuum, debilitas continuo increscens, facies evadit pallida, oculi constanter lacrymantes, inque suo motu languidi, aspectum aequa languidum, et tristem exhibent. Pulsus cordis irregularis est, et palpitatio ejusdem, minimo corporis aut animi motu excitatur. Universum systema nervorum, sensibilitatem morbose exaltatam offert; animus aegri morosus, mores peregrinas edit, jocos et vel minima incommoda, cum renisu solum perferens. Somnus fugit miserum, vel somnia felices vitae in natali solo, et parentum, agnatorum, amicorumque consortio transactos dies revocant, ut evigilantis moerorem, tristitiamque augent. Caloris animalis imminutio, functionum mentis turbae, et obscurationes sensuum externorum superveniunt. Adfectiones spasticae, cum primis **Gastralgia**, aegrum frequenter adfligunt: saepe vero organa nobilissima, graves sauguinis congestiones experiuntur. Non raro febriles quoque alterationes ad sunt. Secretiones et excretiones cunctae, plus minusve turbantur. —

Nostalgiae incrementum, et decursus, saepe celeritatis fere incredibilis est; atque accidente febri hectica, emaciatione corporis, et debilitate rapide incrementibus, facies fit hyppocratica, miseraeque vitae jam jam periclitans flamma, postremo adhuc verbo ardens patriae, et charorum desiderium exprimente, placide extinguitur. —

§ 6.

Cadavera Nostalgiae succumbentium, parum huc-dum investigata sunt. Hinc resultata sectionum, ad morbi hujus indolem penitus cognoscendam institutarum, non sunt magni momenti. Neque magna adfulget nobis spes, futurum fore, ut mutationes simplici Nostomania in corpore provocatas olim cognoscamus. Sensus namque nostri, ut eas percipere queant, multo subtiliores esse deberent. Quae tamen hunc in finem instituta sunt intispicia, haec fuere: Barcon vasa cerebri sanguine atro turgida; Auenbrugger pulmones pleurae adcretos, partemque eorum penitus induratam, et plus minusve purulentam reperit; alii in visceribus cavo abdominis, et thoracis reconditis, praegressae inflammationis vestigia invenerunt.

§ 7.

Diagnosis Nostomaniae complicatae, ex signis Nostalgiae simplicis, cum iis alterius morbi una praesentibus, repetitur. Hanc tamen symptomatum complicationem adferre, angustos speciminis hujus cancellos, superat. Id unice hic commemorasse juvabit, quod Nostalgiae scorbutus, febris putrida, et nervosa, typhus putridus, dysenteria, etc: saepissime complicentur. —

§ 8.

Nostalgiam fictam, medicus attentus facile cognoscet ex constitutione corporis laudabili, ex faciei linearimentis, quae ne quidem maxima simulatione operante tristitiam exprimere valent, ex colore et calore cutis normalibus, ex appetitu cibi bono, robore musculari; se, — et excretorum ratione genuina; ex respirationis et pulsus aequalitate, hujusque fortitudine; ex nausea medicamentorum amarorum, vesicantium, setacei, diaetae restrictae, etc: denique ex premature prolati desiderio patriae, charorumque.

Confirmabit vero hanc Nostomaniae fictae dia-
guosin cognitio aversationis individui investigandi erga
suum statum, aut vitae modum. —

§ 9.

In plenarie evoluta Nostalgia incredibili fere ce-
leritate increscens, et facile lethalis virium prostratio,
adpetitus cibi subito evanescens, etc, aliquam admi-
nus causant inter febrim nervosam malignam, et No-
stomaniam similitudinem. Differt vero haec ab illa,
tum symptomatibus singulo eorum propriis, tum im-
mensae celeritatis transitu in sanitatem, qui in Nostal-
gia, explendi desiderii spe adfulgente, non raro ob-
servatur. —

Aetiologya:

§. 10.

Generalis dispositio in Nostalgiam, in natalis so-
li praedilectione, non minus animalibus, quam homi-
ni, a natura insita, fundata nobis esse videtur. Hunc
patriae amorem, in homine sensu molli praedito, qui
illi vitam suam, educationem, et innumera in acceptis
refert beneficia, cui felices iuventutis suaे dies, quos
in ambitu parentum, agnatorum, et amicorum suorum
transegerat, gratus agnoscit, in homine inquam ita
constituto, hunc patriae amorem ardentiorem esse de-
bere, eoque in Nostalgiam specialem inducere dispo-
sitionem, facile patescit. Augent porro proclivitatem
in Nostomaniam aetas iuvenilis, sexus masculinus,
temperamentum melancholicum, morbi variii, taedium,
et circumstantiarum monotonia. Aetas iuvenilis ob ma-
joram ea excurrente, sensationum et phantasiae vivi-
ditudem, majorem quoque in Nostalgiam proclivitatem
procurat. Interim habentur exempla sat numerosa ho-
minum aetate adultiorum. qui hoc morbo affecti sunt.
— Testante experientia feminae Nostomaniae minus
sunt obnoxiae. Cujus ratio in eo fundata esse vide-
tur, quod seminae aetate teneriori, huic affectui cum-

primis favorabili, rarius ex loco natali, atque charorum sibi amplexu divellantur, quam, qui onus diei portant viri. Hinc etsi feminae magis sensiles sint, quam viri, cum tamen causae principali Nostalgiam excitare valenti rarius exponantur, quam viri, expositae, factam impressionem, ob mobilitatem systematis sui nervorum, facilius delent. — Temperamentum melancholicum, quatenus animum in tristitiam, et reliqua animi pathemata deprimentia disponit, eatenus in hunc quoque morbum propensionem exacuit. — Etiam morbi varii, ut febres, infarctus viscerum abdominalium, indurationes glandularum mesaraicarum, anomaliae digestionis, fluxus haemorrhoidum, et menstrui turbae, etc. specialem in Nostalgiam causant dispositionem. Huius quoque loci est adnotare, hominibus plethora notatis, insignem esse in Nostomaniam opportunitatem. —



S. 11.

Praegressa dispositione, Nostalgiam excitare valentes causae, sequentes ab aucteribus adnotatae sunt:

1. Aër. Summum hujus in determinandam hominis vitam influxum, negare haud possumus, ideoque eum et in provocandam Nostalgiam suum exercere imperium, quisque facile admittet. Sententiae tamen nonnullorum naturae scrutatorum, qua statuitur morbum hunc tunc solum oriri, dum ex aëre montano puriori, rariori, et eo specificie leviori, in densorem, atque specificie graviorem locorum depresso sitorum transitus fit, quo anxietatis sensus, humorum densitas, circuitus sanguinis langvor, etc. inducantur, — huic inquam sententiae, repugnat ratio, et experientia. Nam

1. Si aër unica Nostalgiam excitare valens causa foret, influxus eius initio vehementissime agere deberet, tunc ergo malum hocce frequentissime provocare. Observatio vero larga, contrarium docet. —

2. Supra memorata opinione perstante, mutatio aëris, unicum quoque esset remedium Nostomaniam tollere valens. Jam vero, quae summus sententiae huius defensor Scheuchzer, hunc in finem instituit pericla, ei penitus infavorabilia suppeditavere data. —

His, quae per rationem innotescunt, experientia quoque suffragatur. Sic :

1. Altiora montium juga incolentes, non soli Nostalgiae obnoxii sunt. Quin imo ex adverso, —

2. Dantur incolae altorum montium, qui in peregrinas delati oras, hoc malo haud corripiuntur. —

3. Adnotata habemus exempla hominum, qui in non magna patriae distantia, Nostomania adfecti sunt. —

4. Sententiae, quam persequimur, etiam penitus contrarium, docet observatio.

Homines quippe ex regionibus profundius sitis, ad altius sitas provincias delati, Nostalgia adfici visi sunt. Ita Grönlandi, Lapones, Dani, etc. densorem, humidum, nebulosum, eoque graviorem habentes aërem, in aëre oppositarum qualitatum, non raro hoc morbo adficiuntur.

His igitur ducti argumentis, sententiae illorum, qui aërem unicam Nostomaniae causam excitantem esse adserunt, consentire non possumus. —

II. Majorem omnino in causandam Nostalgiam habent influxum cuncta rerum adjuncta, quae iis patriae, animum deprimente ratione opposita sunt. Hinc igitur, quo major hoc respectu observatur oppositio, eo etiam potentior aderit Nostomaniam excitandi occasio. Spectant vero ad haec adjuncta: diversitas climatis, regionum, vitae modi, formae regiminis, linguae, mediorum vitae, vestitus, etc. Hac scilicet oppositione, flagrans adjunctorum natalis soli desiderium, hocque non exsatiato reliqua malorum cohors, quam supra perlustravimus, provocatur. Simili ratione dignunt Nostalgiam auditus cantilenarum nationalium, vestitus, morumque certis populis propriorum contemplatio, etc.

III. Diversi tandem morbi, quos paulo ante dispositionem in Nostalgiam provocare animadvertisimus, continuata sua actione, in causas abire solent excitantates. —

§. 12.

Nostomaniae, perinde ac eidem analogorum morborum causa proxima, hucdum parum cognita est. Ex iis tamen, quae de ejus evolutione cognita sunt, in turbato sensuum internorum aequilibrio, radicari videntur. Facultas scilicet imaginandi, per suam activitatem ininterruptam, caeteras sensorii communis facultates, in functionibus suis exsuperat. Hinc habent suum explicatum: ratiocinii, judiciique suppressio; voluntas ad solum fere redditus in patriam desiderium restricta; obscuratio sensuum externorum, somnia vividissima, etc. Haec activitatis vitalis in cerebro exaltatio ratione antagonistica in universo systemate nervorum, et vasorum, depressa comparet, circuitu perturbato, pulsu tardo, cordis palpitatione, alterationibus febrilibus, debilitate, morositate, insomnio, spasmis, respirationum turbis, etc. se manifestans. —

Prognosis.

§. 13.

Nostomaniae praesagium, ejusdem complicatio, gradus evolutionis, et adjuncta aegri, cum primis determinant. — Praesagium Nostalgiae simplicis, in genere magis faustum statui potest, quam complicatae. Interim haud infreuerter morbum sistit periculosum, qui neglectus, aut perverse tractatus, ipsi vitae insidias struere valet. — Nostomaniae complicatae existunt, cum primis indole morbi una existentis, atque nexus causali, qui utrumque intercedit, determinatur. Frequens, non secus ac ominosissima est complicatio Nostalgiae cum scorbuto; quem, prout cuncta animi pathemata deprimentia, provocare quoque solet. Febris

quoque putrida, aut nervosa, dysenteria, etc. non raro cum Nostomania complicantur, ejusque pericula augent. — Dum morbus alte evolutus non est, atque in ejus decursu notabiles observantur remissiones, sub quibus aeger serenus, et quietus est; dum in regione amoena, inter homines sociales, sobrios, et faciles versatur, hisque concessum est eundem convenienter occupatione, et animi exhilaratione, ab idea tristi qua continuo torquetur revocare, — prosperum sperare licet exitum. — Faustissima est prognosis, ubi morbo haud alte evoluto, adjuncta aegri adeo favorabilia sunt, ut ardentissimo ejus desiderio, satisfacere liceat. — Ex adverso non alium, quam infelicem expectare licet Nostalgiae exitum, dum ea diu perseverans, et neglecta est, atque relationes aegri exiguum curae spem, aut nullam plane admittunt. Rebus enim ita constitutis, accedente febri hectica, derelicti aegri pallidae mortis sunt spolium.



Therap i a.

S. 14.

Nostomaniae cura triplex est. Prophylactica puta, radicalis, et palliativa. —

Cura prophylactica iis in casibus adhiberi potest, ubi evolutio Nostalgiae cum probabilitate praedici potest. Adest vero haec probabilitas: 1. dum eminent in morbum hunc dispositio observatur, et 2. dum actio potentiarum Nostomaniam provocare valentum, adest. Cura haec praeservativa in eo consistit, ut animo exhilarato, atque occupationibus convenientibus, evolutio invincibilis patriae, dilectorumque desiderii impediatur. Plurimum vero hoc intuitu praestare valet, adjunctorum quantum concessum est, permutatio. —

S. 15.

Cura Nostalgiae radicalis, ut quaevis cura essentialis, duabus satisfaciat indicationibus, necesse est.

Primo quidem causae excitantes, adhuc agere continuantes removendae sunt, dein vero ipsa, quam protulerunt, et fors sustentant affectio morbosa, corrigenda est. —

Causis excitantibus cognitis, et ea indole praeditis, ut amoveri facile possint, iis remotis, Nostalgiae in sanitatem transmutatio, celeri accidit passu. Cum vero causae morbum hunc excitantes variae esse possint, modus etiam variat primam indicationem explendi. Ita compertum habens medicus, Nostalgiam per infarctus viscerum abdominalium, indurations glandularum mesentericarum, fluxus menstrui, aut haemorrhoidum anomalias, etc. provocatam fuisse, et porro quoque sustentari; ante omnia hasce affectiones morbosas, congrue earum characteri, gradui, et stadio tractandas suscipiet. Hoc tamen tractaminis genus, utpote huc non spectans, non adferemus. — Dum vero ex instituto status aegri examine, Nostalgiam mutatis aegri adjunctis unice excitatam fuisse, et sustentari innotescit medico; tunc is studium suum omne eo convertat oportet, ut si aeger in priora, et desiderata adjuncta reponi nequeat, adminus praesentes ejus circumstantiae ita modifcentur, ut ad illa quam maxime accendant. —

§. 16.

Causarum excitantium actione non ultro praesente, iis ignotis, aut ita comparatis, ut cito removeri non possint, cura radicalis illico ab altera indicatione ordienda est. Haec a statu organico — vitali desumpta, in duas itidem secedit, quarum una curam morbi psychicam, physicam alia complectitur. —

Psychica Nostomaniae cura, physicam efficacia superans, et in longe pluribus casibus, remedii materialibus inefficacibus, sola possibilis, revocationem phantasiae a fixa patriac, dilectorumque cupidine, et per

hoc facultatum mentalium ad aequilibrium reductionem, animi vero exhilarationem, et erectionem pro scopo habet. Ad hunc obtinendum necesse est, ut medicus confidentiam, et amicitiam aegri ad opem eius confugientis sibi comparet, una tamen auctoritatem quoque sibi debitam conservet, animumque serum cum amicitia, et benevolentia conjungat. Passiones infelicis ad parenter participet, et procul ab eo, ut lacrymas, quae relasve eius risu excipiat, iisdem moveri videatur. Dulcem objectorum desideratorum memoriam minime arceat, quin imo ad effectum eiusdem debilitandum saepe repeatat, atque minima adfectionis remissione observata, omne suum studium eo convertat, ut novas et oppositas excitet sensationes. Hoc vero obtinebit monstrando aegro, quam felix eum olim mansura sit sors, variarumque rerum, musicae, naturae studii, venationis, etc: amorem eidem instillando. In hoc tamen negotio lente festina, ne per citatam et vividam reactionem, malum praesens exasperes. Ex parte eorum, qui aegri confidentiam participant, et illorum, quibus communia cum eo sunt negotia, id requiritur, ut eidem modum agendi amicabilem, patientiam, commiserationemque exhibeant, et amoenis, facilibus, atque animum occupantibus laboribus, lusu, theatris, caute selecta musica, deambulationibus, itinerationibus, etc.: exhilarare contendant.


§. 17.

Dum cuncti medici, circumstantiumque conatus irriti sunt, neque ideam quae infelicem crudeli suo imperio subjicit, debilitare et tollere valent, necesse est aegrum unice objecto desiderii sui occupare, eique firmam eius obtinendi spem concedere. Enimvero numerosa in fastis medicorum consignata sunt exempla Nostalgia graviter excruciatorum, qui ad fulgente eis spe, quae fida miserorum amica est, pristinae sanitati restituti sunt. —

§. 18.

Nec hoc remedio ad optatum finem deducente, atque morbo rapidis increcente passibus, unica adhuc salutis anchora superest, in eo consistens, ut aeger, utique admittentibus id eius circumstantiis, ad patios lares, inque exoptatum parentum, agnatorum, et amicorum amplexum referatur. Hoc tamen efficere persacpe debilitas nimia, morbus alter gravis una praesens, etc. impediunt. Sunt tamen auctores, qui Nostomaniae curam proponentes, etiam summa virium prostratione praesente, iter adgredi svadent, numerosa experientia edocti, spe tertia explendi desiderii concepta vires rapide reverti, morbumque in ipso adhuc itinere, in sanitatem converti. —

§. 19.



Pars altera curae Nostalgiae essentialis, physica est, et sequenti peragitur modo: causis excitantibus remotis, ipsa affectio morbosa, congrue suo characteri, gradui, stadio, et complicationibus suis, tractanda est. — Dantur casus, quamvis rariores, in quies ob plenioram insignem, quae praesentem excitavit, et sustentat Nostalgiam, methodus antiphlogistica adhibenda est. — Longe tamen frequentiores sunt casus, qui leniorem methodum stimulantem exposcunt, qua vires labentes eleventur, animus exhilaretur, ceteraeque organismi functiones excitentur. — Dum reproductivi systematis functiones eminenter affectae sunt, laesa quo digestione, saburra etc. se manifestant, congrua his statibus morbosis opponenda sunt remedia. Id tamen probe notandum est, quod signa saburrae in Nostalgia saepe fallacia nimis sint, per singularem systematis nervorum affectionem provocata. — Ubi febris hectica Nostomaniae soclam se jungit, aut haec cum febri putrida, vel intermittente complicatur, cortex chiae efficacissimum praebet remedium. — Complicatio Nostalgiae cum alio quodam morbo, id exigit, ut ante om-

nia nexus, qui utrumque intercedit exquiratur, periculo majori stipatus prius curetur, et si possibile est methodus, qua uteque morbus tolli queat, exquiratur, et adhibetur. Regulas tamen speciales, quibus id obtineatur elucubrare, ad huius diatribe ambitum, minime spectat. —

§. 20.

Et in hoc morbo, curam therapeuticam, diaetetica sussulciat. Debet vero regimen diaeteticum in hoc morbo non solum constitutioni, et reliquis aegri relationibus accommodatum esse; sed insuper naturae morbi conformiter requiruntur cibi faciles digestu, et simplices, animales; pro potu aqua recens, et pura, vinum lene, cerevisia fermentata; aër siccus, et purus, temperaturae medioeris, motus corporis eius viribus adaequatus. Id cum primis curandum est, ne aeger sibi soli relictus, ideae suae penitus adhaereat.

§. 21.

Obtento felicibus sub auguriis convalescentiac stadio, cum Nostalgia in recidivas nimis proclivis sit, usus remediorum tam physicorum, quam psychicorum, longiori adhuc tempore continuandus erit. —

§. 22.

Palliativa Nostomaniae cura, duplaci sub rerum facie locum habet. Primo quidem ad symptomata eminentiora, in decursu morbi occurrentia debellanda (cura symptomatica.). Hoc respectu agrypnia, et inquietudo continua, emulsionibus remedia narcotica, et emollientia tenentibus, ante decubitum porrectis compescenda; anxietas nimia, et palpitationes cordis, remediis moderate stimulantibus, etc. Cura Nostalgiae palliativa tunc quoque locum habet, dum mors inevitabilis instat, ad somitem vitae quamdiu licet sustentandum, miseriasque aegri allevandas. Deveniunt vero ad statum huncce deplorandum ii passim, quorum malum

alte elatum est, curaeque eius insuperabiles obices oppositi sunt. Nobilissimo igitur humanitatis zelo animatus medicus, his quoque, quod largiri valet, levamen non denegabit; ea, quae in miserandum noxium exercent influxum arcendo; solamen, spemque eidem expeditando, ut hanc usque ultimum spiritus ductum conservando, loco reditus in desideratam patriam, quietus, et tranquillus, letheis sopiaatur undis.



Theses defendenda e.

- 1. Solventia oxygenio agunt.**
 - 2. Datur febris sine gastroenteritide (adversus Broussais).**
 - 3. Auditus, et visus de principatu contendunt.**
 - 4. Absolutum mortis signum, praeter resolutionem totius corporis, nullum datur.**
 - 5. Origo Nostalgiae, soli aëris mutationi, adscribi nequit.**
 - 6. Arteria hepatica non solum est vas nutriendis hepatis, sed etiam bilem secernens.**
 - 7. Nulla cataractae operandi methodus, alteri in genere praferenda est.**
 - 8. Docimasiae simul sumtae, plurimum probant.**
 - 9. Instinctus aegri non est vilipendendus.**
 - 10. Formulae nimis compositae, minus probandae.**
 - 11. Veri hermaphroditii non dantur.**
 - 12. Pulsus infidum morborum signum.**
 - 13. Enthelminta generatione aequivoca oriuntur.**
 - 14. Dantur morbi topici.**
 - 15. Prognosis vera, optimum medici criterium.**
 - 16. Sunt et morbi salutares.**
-